

A4
1787 8

SPECIMEN PHYSICVM
DE
PLVVIA ET TONITRV
QVO SIMVL
LOCVS IOB. XXXIIX, 25. 26. 27.
EXPLICATVR
QVOD SVB
PRAESIDIO
IOANNIS DANIELIS
T I T I I

A. M. PHYSICES P. P. O. FACVLT. PHIL. SENIORIS
CONVICT. ELECTOR. INSP. SOCIETAT. OECON.
LIPS. SODALIS


D. XII. OCTOBRIS A. O. R. c100GCLXXXVII,

FVELICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES TRAUGOTT NOTH

DRESDENSIS REVER. MINIST. CANDID.

WITTEBERGAE

TYPIS IO. TZSCHIDRICHI.



V I R O
PERILLVSTRI GENEROSISSIMOQVE
D O M I N O
Dn. FRIDERICO GOTTLLOB
a BERLEPSCH

ELECTORIS SAXONIAE SERENISS. IN SENATV ECCLESIAST.
PRAESIDI, DYNAST. IN LASLAV ET HENNIGSLEBEN ETC.

N E C N O N
V I R I S
MAGNIFICIS SVMME VENERANDIS,
AMPLISSLIMISQVE
D O M I N O
Dn. IOANNI GODOFREDO
HERMANNO

S. S. THEOL. DOCTORI, ELECTORIS SAXONIAE SERENISS.
A CONSILIIS ECCLESIASTICIS ET CONSISTORIALIBVS,
N E C N O N S V P R E M O C O N C I O N A T O R I A V L I C O E T C .

E T
D O M I N O
Dn. IOANNI FRIDERICO
REHKOPFIO

S. S. THEOL. DOCTORI, SENATVS ECCLESIAST. ET CONSIST.
ASSESSORI, DIOCESEOS DREDENSIS SUPERINTENDENTI,
AD AEDEM S. CRVCIS PASTORI, SCHOLARVMQVE
EPHORO ETC.

DOMINIS ac PATRONIS
LONGE INDVLGENTISSIMIS

GRIV
HAS
PAVCAS PAGELLAS
CEV
PRIMVM SPECIMEN
IN
TESTIMONIVM GRATI ANIMI
SACRAS ESSE VOLVIT

CVLTOR PERPETVVS
AVCTOR

Innumera sunt, quae sese in rerum natura quotidie ob oculos consideranda nobis sstant momenta, vt, quoquo nos vertamus, habeamus, quae miremur, neque superficies tantum, quam incolumis telluris, infinitam animantium aquae ac vegetantium ostendit copiam, vt, omnia si contemplari vellemus, plus requireretur temporis, quam quod hominis vitae est concessum, plus sapientiae, quam quae in hominis finitam cedit naturam. Sed in interiora quoque globi terrauei si penetramus viscera, non minora inueniuntur mirationis obiecta, Metalla suis in sparsa matricibus minerasque ibi offendimus, argento auroque coruscantes. Qorum originem et compositionem si spectas, quis est, qui ad hunc usque diem omnium ex parte, absque hypothesi explicare valuit, cum omnia densissima velata sint caligine? Maris contenta multum abest, vt vel nomine saltem omnia noscamus, multo minus naturam eorum atque oeconomiam habeamus perspectam. Coaceruatas ostendunt naturalium collectores conchas, alia que testacea corpora, que nihil sunt nisi domicilia vermium, plurimis ne visorum quidem, et si quoque sint, qui viderint, nullus tamen eorundem perserutari potuit oeconomiam, cum in locis habitent, hominis observationes penitus fugientibus. Plurimi eorum in locis vitam trahunt incessis, alto nimirum limo in fundo sepulti, aut scopulorum caverne firmiter affixi. Quantaquanta vero haec sint, non tamen deficiunt plura aquae miranda et copiosa. Adscendamus superiora et astra conspiciamus numerum non admittentia, omnia tamen ordine conuenientissimo, absque concurso, summa celeritate, perpetuo, sine ullo errore aut defectu, sese mouentia. Haec vero extra telluris nostrae limites sunt posita; intra hos quoque considerationem merentur meteora. Iam specimen editurus diu haesi dubius, quale mihi ex tam infinita rerum copia trastandum eligerem argumentum, quod nec vires superaret meas, quas valde exiguae esse sentio, nec pluribus forsitan lecturis plane esset inutile. Diligenti tandem cogitatione omnia perpendens ad meteora adscendere constitui, quae ad

omnes omnino pertinent homines, omniumque contemplanda obiciuntur oculis. Agam igitur fauente numine de pluia, eamque pro virium modulo breuiter exponam physice, altera vero libelli parte de tonitru eodem modo verba faciam, denique sic exposita ad locum scripturae accommodabo sacrae.

§. 2. Antequam vero me ad rei accuratiorem accingo tractationem, mihi de pluia acturo operae videtur pretium, de meteoris in genere aliquid dicere. Sunt vero illa, murations in aere conspicuae, oriundae ex corporum exhalationibus. In duplēcēm dispeſci possunt classem, in meteora aquæ et lucida, quibus addi possunt ærea, quale ventus. Ad illa pertinent ros, nebula, pluia, nix, grando, nubes, fumus, vapores, tubae marinae et terrefres. His annumerantur: Fulgor, iris, aurora borealis, stellæ cadentes, ignis lambens, capra saltans, trabs coelestis, halo, parelius, hyperelius, hyperelius, anthelius, plures soles, plures lunæ, paraselini, Castor et Pollux, virga lucida, crux coelestis, draco volans, ignis fatuus, bolides etc. Vtriusque generis in scenam quoddam producens, initium iam faciam.

SECTIONE I.

De Pluia.

§. 3. *Definitio.*

Ante omnia merito videndum est, quid sit pluia. Varias de ea fententias exterarum gentium v. c. Kamischadalium, Lapponum, Indiaeque incolarum lubens praetereo, cum aliae sudorem astrorum, aliae lacrymas Deorum, aliae aliam habuerunt. a) *MVSSCHENBROEKIVS* multitudinem dicit parvarum guttularum aquæ diversis temporibus ex sublimi in terram cadentium. b) Quæ definitio eti a viro profeta sit naturae quoque interiora penetrante, minus tamen recte mihi formata esse videtur. Requirit ille ad pluiam guttarum exiguum magnitudinem et eximiam multitudinem, pluviae tamen per se spectatae notione neutram involuente, cum, vti deinceps demonstraturi sumus, detur pluvia ratione et magnitudinis et multitudinis guttularum varia. Nec meliore sorte vñus est H.A.

NOVIUS,

a) *Historisch. Goetting. Magazin.* b) *Introductio ad philosophiam naturalem*
C. XLII, §. 2353.

7

NOVIVS; c) summus in perscrutandis rebus naturae, qui pluviām insignem guttarum dicit copiam, atque itidem ex magna guttarum copia eam constare affirmat, postea vero ipse aliam eamque meliorem, reique adaequatam præbens definitionem, stilicidia dicit coeli. Est igitur pluvia ex mea quidem sententia illud meteorum, quo guttae aqueae, ex vaporibus condensatis ortae, pedetentim ex aere delabuntur. Inde nomen fortassis adepta videtur, quod ex aere, cœu lumenis fonte descendit, ut sit quasi: *per lucis viam.*

S. 4. *Diuiſio.*

In pluia semper quidem decidit aqua, neque tamen eodem semper modo, hinc variae eius diuisiones. Dividuntur nimirum in ordinariam et extraordinariam, qua latte, sanguine, sulphure, cineribus aliquo rebus pluifus dicitur, cuius rei plura qui velit, audeat duumuiros supra laudatos **MVSSCHENBROEKIVM** d) et **HANOVIVM** e) qui plurima eorum ab auctoribus passim relata collegerunt; semper vero accuratiore adhibita inquisitione animaduenterunt physici, non fuisse nisi aquam, rebus admixtam variis. Pluia sulphurea v. c. non occurrit nisi Maio ac Iunio mense, iam vero eo tempore pinus abies fructificationis peragit opus, antheras in floribus gerens parentibus, polline coloris sulphurei repletas, qui pollen vel a ventis abrepti et in altum sublati, vel ab ipsis pluviae vi decussus, aquae pluiali innatans a vulgo creditur sulphur. Aliae herbae albido gaudentes polline, anfan praebent lacteæ fingendæ pluviae. In sanguine coelitus delapsi vermiculorum innumera copia, aut terra martialis cauilla fuit reperta. Aciculi, lapilli, cineres a ventorum turbine in aerem abrepti, vna cum pluviis deciderunt, frumenta ex coelo demissa nihil aliud sunt, ac radices ranunculi ficariae Linn., quae figuram habent secalis aut tritici, et a pluvia terra nudatae fese praebent conspicendas. Rectius tamen fese habent aliae huius phænomeni diuisiones desumptæ a copia, modo, tempore, et extensione. — Ratione copiae est vel *rara*, vel *densa*; haec, vbi plures guttulae dato tempore in idem decidunt spatium; illa, vbi pauciores.

A 2

res.

c) Physic. dogmatic, P. II. Sect. I. Cap. IV. §. 377. d) I. c. §. 2370. e) I. c. §. 388-393.

res. Si v. c. intra horae minutulam guttarum tantum XXX decidunt in perticam quadratam, *rara* dicenda erit; si vero eodem tempore illam attingunt perticam, centum aut plures, *densa* est. — Ratione modi, quem in defluxu seruat, est vel *pseca*, vel *pluvia* proprie dicta, vel *imber*, vel *nubibus*, vel *exhydria*. *Pseca*, (*Staubregen*) illa est, vbi ex infima nobisque proxima nubis parte guttulae decidunt, puluerem quoad magnitudinem aequantes. — *Pluvia* stricte sit dicta (*gewöhnlicher Regen*) si guttulae sine strepitu placide decidunt, maiores tameu psecadis guttulis. — *Imbrem* dices (*Plazregen*) guttas maiores magno cum strepitu, magna copia decidentes, recta tamen linea; qui si desfletit a vento sive procella oblique actus ille imber *nimbi* (*Schlagregen*) nomine insignitur. — *Exhydriae* (*Wolkenbruch*) nomine terrorem inquit pluvia copiosissima, quae ex nube vel vi ventorum ex aduersis flantium regionibus compressa vel ad corpora solidiora illorum impulsu allisa, aquamque summo cum impetu fundente oritur, omniaque occurrentia deuastat inundatione. — Non minus *temporis* in diuidenda pluvia ratio est habenda, non enim ubique, vti apud nos, quoconque occurunt tempore, sed statim tantum temporis interallis. Sic v. c. in Palaestina duabus tantummodo vicibus pluit; inde diuisio illa notissima in *autunalem* et *vernalem*. *Haec*, mense Maio decidit, messem antecedens, eamque promouens; (*Spatrege*) *autumnalis* mense nobis Octobri animaduertitur, Palaestinae incolis sub anni initium, postquam semi-na terrae sunt commissa; (*Friühregen*) f) quibus addi potest annua, quibusdam oceani consueta regionibus, de quo naturae ordine in distribuenda pluvia varia habet M^ySSCHEN BROEKIVS g) — Tandem quoque locum discrimen habet quoddam ratione extensionis, sive tractus, quem irrigat, eoque respectu est vel *vniuersalis*, vel *particularis*. *Vniuersalis* non ita est intelligenda, ac si per omna terrarum orbem, seu totam Europam sepe extenderet, sed amplissimum complectens spatium totam interdum humectat regionem. (*Landregen*) *Particularis* paruum tantum modo terrae tractum attingit, aruis proxime adiacentibus siticolosis ac puluerulentis. (*Strichregen*) — Posset quoque distribui pluvia in *diuturnam* et *mox trans-euentem*; cum vero parui sit illa momenti, silenio praeterendam duxi.

S. 5.

f) III. Michael, Supplement. ad lexica hebraica, P. IV. p. 1161.
g) l. c. § 2365.

§. 5. *De Nubibus pluviae fontibus.*

Oritur pluvia ex vaporibus, nubem formantibus, dein in guttas delapsis, decidentibus. Omnia scilicet corpora a sapientissimo naturae conditore ita sunt constituta, ut in vapores, qui adscendent, soluantur, qua vi aqua prae caeteris gaudet. Vapores illi tenuissimi longe minorem habent gravitatem aere, terrae nostrae proximo; iam ex gravitatis lege leviora sublimiores, grauiora profundiorem petunt regionem, inde fit, ut illi vapores ad eam usque adscendant altitudinem, qua aer, qui, quo alio, eo subtilior, quo subtilior, eo leuior, non amplius eleuare illos potest, sed tantum illis ferendis par est, ibi coaceruati nubes formant. Hi vapores non ex fluui modo exhalantur, sed a paludibus quoque et stagnis, immo ab ipsa terra pluvia humectata emittuntur, hinc loca paludosa nubibus nebulisque sunt repleta, frequentioribusque madent pluviis. Nubes ex vaporibus orrae a ventis vel coagmentantur, ita ut mole crescant, vel disperguntur, ut minores reddantur, aut penitus euaneant. — Varia in illis animaduertitur figura, varia magnitudo, variaque altitudo. Non eiusdem esse figurae et magnitudinis ratione ambitus, visus docet, cuius diuersas ac saepe mirandas sistens nubium figuram; ratione crassitie diuersa guttarum pluvia decidentium mensura, quo enim crassior nubes, eo maiores deiicit guttas: fieri quidem potest, ut infima tantum nubis pars pluat, sed tunc nubes finito pluviae defluxu non disparer. Deinde hoc quoque docet caliginis, quem efficit gradus, nam quo crassior nubes, eo plures lucis resorbet radios, quo minor eorum radiorum ad nos perfertur copia, eo maior caligo. Altitudinem diuersam ratio et experientia docent. Pater ex ratione, quia nubes, quo grauior, eo minus apta est, altiora petere, quo leuior, eo sublimior. Iam nemo, ex mea sententia, ibit insicias, gravitatem nubium esse diuersam, cum altera altera maiorem contineat aquae copiam: Quo concessu, altitudo quoque varia concedenda erit. Experientia quoque docet, cum motus saepe sequantur diuersos, ita ut altera ad Austrum pergens, nubem offendat, vel immotam, vel Boream versus tendentem et modo supra, modo infra eandem mouit suo diducitur, inde recte concluditur, alteram altera esse altiorem. Quae autem summa sit, ad quam nubes attollatur altitudo, ea non eodem modo a variis traditur. Plurimi tamen in eo conueniunt, non exceedere eas milliare

Germanicum, M^VSCHEN BROEKIVS^h) summam rarissimae nubis altitudinem 25,000 pedes excedere negat, exemplo montis Chimboraco assertum suum comprobans, quem 19,302 pedum maris superficie altiore repertum dicit, cuius tamen verticem ad 2,400 pedes superatum esse a nubibus, quocum etiam HANOVII conuenit compaus. i) Quantacunque vero haec sit altitudo, guttae tamen minimum habent pondus, qua in resumma creatoris cernenda est benignitas; corpora enim, quo diutius labuntur, eo maior celeritas, atque vis in ratione quadratis temporum proportionali augescens; ita quidem, ut si pluia secundum leges grauium decidet, terrestria plurimum vastaret corpora, immo nobismet ipsis afferret laesiones. Sunt vero illae guttae pluiales ita formatae, ut resistentia aeris celeritas earundem minuatur, non maiori in telluris superficiem decidentium celeritate, ac si per paruum tantum profectae essent spatium, quo damna herbis alias imminentia tenerrimis auerterentur.

§. 6. Causae.

Oritur pluia ex nubibus, non tamen semper fluit, sed praenius in atmosphaera ad illius formationem caussis, in quibus admodum variis coaceruatio vaporum primaria censenda est. Quodsi enim aer eis ferendis non amplius sufficit, in guttas confluentes minutissimas in terram decidunt. Quod in superiori nubis crassioris parte si accidit, vaporesibi obuios ad se affectos sorbent, atque sic guttarum mole cadendo crescunt, et quo altior lapsus, eo maior guttae ambitus. Ut autem in guttas confluant, variae agunt caussae, ventus nimirum, nimia vaporum copia, contraria ventorum directio, corpora solidiora in altum protensa, v. c. montes, rupes, turres, siluae etc. Si nimii adflunt vapores, minora sunt interstitia; aqua vero, ut omnia corpora homogenea, vi pollet attractrice, quam eo magis exercet, quo minus particulae ab iniucem, distant, eaque vis vapores in guttas compingit pluiales. Ventus et omnis aeris concusso, quacunque de caussa sit profecta idem efficit, vapores sibi magis reddendo vicinos, et interstitia minuendo, eaque deinde prorsus tollendo. Non minus corpora huc pertinent solidiora, resistentia sua, qua coarctant vapores,

^h) L. c. §. 2332. i) L. c. §. 367.

pores, idem efficientia. Silvae insuper pluiam inducunt, exhalationibus humidis, quae a ventis dispergi nequeunt, atmosphaeram replentes, et vapores pluiales in ea obuios augentes. Venti tamen primum sibi vindicant locum, quibus absentibus, nulla decidit in terram pluia, hi enim nubes propellunt alias in loco natali sese exoneraturas. Plus inde semper obseruatur pluiae, Euro et Borea silentibus, quam eis flantibus.

§. 7. *Signa prognostica.*

Pluiam imminere, quaedam attentio humana detexit signa eam antecedentia, quibus de consecutura statui potest pluia. Sunt illa petita ex animalibus partim, partim ex coeli ipsis phaenomenis. Praebent animalia signa pluviae breui futurae, subtiliori tempestatis, factaque in atmosphaera mutationis sensu pollutient. Adspiciunt boues surrecto collo ad astra, dispergunt stragula fues, crocitant corui et cornices, volitant, si adsunt, hirundines, tellurem et aquae superficiem alis tangentes, insectorum, ob aeris constitutionem humidiorum ibi degentium causa, coaxant ranae, muscae, culices, oestrus et tabanus acrius pungunt; formicæ, quae soli exposuerant, frumenta, ad domicilia reportant. Nec non coelum cum phaenomenis in eo apparientibus pluiam praenuntiant; quod sit, si nubibus obductis atris conspicitur; si sol, siue orum parans, siue occasum, rutilo coelum tingit colore; si luna pallida luger facie; si halo adest; si plures conspicuntur soles aut lunæ; si solis radii nimis pungentem exferunt calorem; si aer humidis scater particulis, quod ex mercurio in barometris descendente potest cognosci; si corpora polira aut ex metallo para, sudorem fundunt, et alia, quae si omnia vellem enarrare, nimis longus forem. Veteribus quoque haec signa non fuisse ignota, VIRGILIVS testis est, k)

§. 8. *Vtilitas.*

Malo homines consueuerunt more, eas res, quae saepissime occurunt, et si summae sunt vtilitatis, negligere, earumque usum parui aut nihil facere, quod er pluviae accidit, quae quoniā omnibus hominibus quotidie fere obvia est, a paucissimis attenditur, et si vtilitas eius si summa. Reduci potest usus eius ad sex potissimum rationes, terram hume-

et

k) Georgic. L. I. v. 370-392.

Etat; eam foecundat; nutrientum praebet fluuiis; terram aliasque ex
 montibus particulas deducit in valles; aerem refrigerat, eumque purgat. —
 Pluvia, placida praecipue, terram primo humectat atque emollit. Flui-
 dorum, praesertim aquae, et ante omnia pluialis aquae est, poros cor-
 porum penetrandi, ea distendendi, maiora reddendi spatia, uno verbo
 emolliendi facultas atque vis, quam etiam in solum exserit pluvia. Rem
 ita se habere, defectus pluviae probat, qui si accidit, terra lapidea et
 ferrea quasi facta, omnem respuit culturam, nec ulli herbulae turioni
 transiunt concedit; pluvia vero delapsa mollior redditur ac porosior,
 turiones vindique progerminant, herbae lactuus virent, radicibus non am-
 plius compressis, nec a soli duritate attritis. — Altera, quam praebet utili-
 tates foecundatio est, quam per naturam efficiunt aquae, magis tamen per
 mixtionem; in aqua enim pluiali non merea adsunt particulae aqueae,
 admixtas haber partes oleofas, sulphureas, salinas, omnes ad maiorem
 facientes fertilitatem. Posset quidem inferri, hanc utilitatem non esse
 tanti, quippe quae ab hominibus possit compensari, quod tamen neuti-
 quam fieri potest, cum homines miselam, a natura praeparatam, nullo
 modo possunt imitari, quae tamen summae in foecundanda humo est ne-
 cessitatis magnamque habet in promouendo plantarum incremento effic-
 iam. Etsi quoque imitarentur mixtroram, vires tamen superaret humanae,
 arua, silvas, prata irrigare, quorum limites nec acerimi oculi diudi-
 care valent, nec ea obseruari potest aequalitas, qua pluvia irrigat arua;
 homines locum saepe in limum conuertunt paludosum, vicino, sitiente.
 Nec loca ab hominibus non inculta plane deserta pabulum praebent ani-
 mantibus ea colentibus et ex creaturarum serie nullo modo eliminandis. —
 Terium praefat vsum riuis et fluuiis augmentum praebendo. Hi sem-
 per vaporibus emissis decrescent, praeterea riparum arena semper sorbet
 aquas; vapores adscendentes a ventis propelluntur, alioque loco deci-
 dunt, inde perpetuo expidentes, nunquam recipientes, decrescant ne-
 cesse est. Hoc experientia quoque testatur, qua edocti scimus flumina
 maiora, nauibusque ferendis apta, deficiente pluvia facta esse vadosa, vti
 per Albim, nostra alluentem arua, saeculo XVI. omnis Imperatoris exerci-
 tus Muhlbergae Saxonum transisse legimus. — Quartam exhibit utili-
 tatem in eo, vt pinguem limum ex montibus locisque altioribus deuehat,

ac

ad ripas riuorum ac fluviorum foecundandas, arena plerumque repletas sterili, quam particulis miscer frugiferis. Cuius rei praeclarum habemus exemplum in Aegypti aruis, quae, pluia in regione Nilo natali deficiente, summa laborant sterilitate, ob defectum limi pinguis, a Nilo inundante ex Numidiae montibus deuecti, et in agris, egregium fertilitatis auxilium, relieti. — Nec minor est quintus, quem exserit vius, quo aerem ab immunditiis purgat, quibus est inquinatus. Ascendent partes phlogisticae, putridae, mephiticæ, metallicæ, sulphureæ, quæ omnes hominis vitæ sunt nocivæ, mechanismum vario turbantes modo, quas omnes pluia rapit, ac secum ad humum reuehit, ne amplius vitae hominum possint inferrre noxam. — Sexto denique virilis est ad aeris refrigerationem, quam nemo non post pluviā experitur. Adscendunt in aerem, ut modo diximus, partes phlogisticae et sulphureæ, quæ sese atterentes eximium gignunt calorem; has particulæ præcipitat pluia et ex aere abducit, eorum loco alias relinquens partes, nimirum aquæ, calorem non ita facile admittentes. Hinc calor imminutus. — His, quas pluia in nos confert, viilitatibus, accensi posset ea, quod insectis sit inimica. Numerum excedit istorum animalium exercitus, hortos, agros, silvasque vastantium, nec villa re magis eorum promouetur multiplicatio, quam tempestate calida suda; pluia vero decidente, frigida prælertim, et oua, aqua et frigore corrumpuntur, et insecta ipsa numero innumero traduntur neci, spiraculis, quibus spiritum trahunt, frigore constrictis et aqua obstructis, ut deficiente spiritu vita cesseret. Ita pluia ab innumera hostium copia nos liberat.

§. 9. Noxa.

Magnas sane a pluia percipimus viilitates, quas nemo potest negare; neque tamen minus est damnum, quod nobis modum excedens, affer. Sine pluia humus coli nequit ob duritatem; si excedit pluia ratione copiae, itidem culturam prohibet, nam non est terra, sed limus paludosus; herbas in ea crescentes, quilibet, vel leuissimus ipsius aquæ, mouit, euellit radicibus eorum, quo inhaerent, locum non inuenientibus. — Fœcunditatem impedit, partes enim terreae in plantarum canales illatae, et nimia emollitio occasionem praebent putredini; diffingit insuper pondere

B

dere

dere plantas et necat; semina nondum matura excurit, eoque sequentem perdit sementem; aut si florent, fructificationem turbat; pollen maderatus dispergitur, substantia fructificans dimititur, antequam per pistillis stigmata ad germinem sit delata. — Flumina nimium auger, ita ut ripis superatis, omnia secum rapiant, et pecora, domus, segetes in vndis voluentia, tristem producant vastationem. — Ex montibus arenam humumque deducit, eoque rupes denudat; herbas humo, in qua radices agant, priuat, eas vero in vallibus et locis decliviioribus virentes, contegit et arena quasi sepultas suffocat. — Purgat pluvia modica aerem; immoda maiori inquisitioni praebet occasionem, omnia enim nimio madore macerata, ad putredinem disponuntur, et cessante pluvia aer pluribus repletur putridis exhalationibus, quam antea. — Eo porro nocet, quod nimium refrigeret aerem. Flaudum, quale est aer, eiusmodi est naturae, ut particulis, v. c. aqueis, saturatum, plures earum non recipiant: iam aer excedente pluvia particulis imprægnatur aqueis, et saturatur illis, ergo vapores corpus nostrum egredientes, easdemque aquas, recipere nequit; quae transpiratio, si reprimitur, fomes est arque origo plurimorum corundemque dirissimorum morborum, quibus enarrandis a libelli angustis limitibus prohibeatur. Si vero quis eos nosse cupiat, audeat medicos pathologos. Vnicum liceat addere, quod afferunt incommodum; humores nimirum corrumpunt, eosque reddunt aciores.

Libelli vero limites ne transgrediar, finem iam faciam de pluvia differendi, me conuertens ad tractationis.

SECTIONE II.

De Fulmine.

§. 10. *Dispositio.*

Expositis breuiter, quae de eo meteoro, quod pluviae nomine innuit, videbantur notanda, iam ad alterius classis me conuerto phænomenon, ad fulgur nimirum, saepissime cum pluvia iunctum. Eodem modo hic, quo in superioribus versabor; cuolata prius fulgoris notione, de electricitate verba faciam; deinde de fulminis origine loquar; post de rotitu dicam; porro de eius effectibus; tum disquiram, qui fiat, ut fulgura laepe

saepe conspiciantur absque tonitu fragore; denique coronidis loco, quae dicta sunt ad locum Iobi in fronte libelli citatum, eius adcommodans, tentabo explicationem.

§. II. *Definitio.*

Variae de hoc phænomeno, vti de superiori, extant definitiones, verbis discrepantes, re conuenientes. HANOVIVS¹⁾ saepe laudatus, momentaneas vaporum flamas dispersas dicit, qua cum MVSSCHENBROEKIUM²⁾ conuenit descriptio, qua explicat fulgur per flamman magnam admotum, lucidam, quaqueuersum explicitam, repente in sublimi micantem desinentemque, ita, vt sit momentanea tantum. Quorum duumuirum descriptiones satis quidem recte se habent, neque tamen omni ex parte. Definire enim omittrunt in describendo fulmine, vnde vapores incendantur, et cuius naturae atque indolis ille ignis, an elementaris, an aetherius, an solaris sit. Accuratius hac in re versati sunt KARSTENIVS, ³⁾ FRANKLINVS, ⁴⁾ WINKLERVS, ⁵⁾ p) et REIMARVS, ⁶⁾ qui scintillam vocarunt electricam, cum strepitu ex nube electrica positiva ad negativam electricam transfeuntem, vaporesque accendentem; qua in definitione omnia infunt, et quam meam quoque facio. Illa nempe ignis fulminantis naturam exposuit, eiusque indolem non elementarem, nec aetheriam, sed electricam esse, immo orrum eiusdem sive modum, quo accenduntur vapores, declarat, per electricitatem nempe in nubem non electricam transfeuntem.

§. 12. Electricitas.

Electricitatis cum saepius facienda erit mentio, quippe quae, ut in superiori evictum est paragrapho, scintilla sua fulmen producente, sola est illius causa atque origo, non mihi videor operam perdere, si vltiori de fulmine explicatione, quaedam de electricitate moneam. Est illa ea corporum virtus, qua leviora corpora attrahunt et repellunt, atque lucem in se concitatam reddunt. Praecipua conspicitur in electro sive succino, ynde

B 2 omnis

¹⁾ I. c. C. III. §. 321. ^{m)} I. c. C. XLIII. §. 2518. ⁿ⁾ Entwurf der Naturwissenschaft, Abtheil. XVII. §. 372. p. 498. ^{o)} Briefe von der Electricitat. ^{p)} Natur und Religion, Baendeb. I. St. VI. p. 102. ^{q)} Vom Blitz. Th. III. C. XV. §. 142. p. 522.

omnis illa virtus, omnisque de ea doctrina nomen est fortita. Absit vero, ut eam soli tribuamus electro, reperitur in aliis quoque subiectis, v. c. in metallis, pice, colophonio, vitro, sulphure, serico, cannabi, pilis, plumis, atque quamplurimis. Quam virtutem, quae per se et sua natura possident, vi modo allata, ea nomine veniunt positivae electricorum, seu simpliciter electricorum; quae vero corpora eadem carent, vi homines, non electrica vocantur, sive negatiae electrica; fieri tamen potest, ut et haec ea afficiantur virtute, si nempe accidit, ut corpus positivae electricum propinquum reddarum negatiae rati, illud huic partim electricitatis tribuit, eo usque, donec aequilibrium est restitutum, quae communicatio fit scintilla cum strepitu sibilo transeunte. Quae virtus, vi experimenta docere, eadem est minori, quae in fulmine maiori occurrit gradu. Incendit, si fuerit coagamentata, lumen extinxit, metalla liquefacit, immo, si plurima adeat, minora quoque animalia necat, quae omnia in fulmine, fortiori tamen gradu, sunt animaduertenda. Varia, quae cum illa instituta sunt experimenta legere, qui vult, audeat M V S S C H E N B R O E K I V M, saepius iam laudatum, r) qui magnam eorum collegit copiam, quae omnia enarrare nec temporis, nec instituti permittit ratio.

S. 13. Diuīsio.

Semper lucent fulmina, sed nihilominus sunt longe diuersa, et triplex quidem locum haber discrimen. Differunt ratione naturae seu virium, accendentia et non accendentia, illa corpora sibi obvia accidunt flammis, inde quoque calida, ob incendia, et sulphurea, vocantur ob nimiam, quod fecum habent sulphuris copiam, qua de caussa flammis facilius gignunt; rutilo conspicua sunt colore; haec, albida conspicuntur, nec flammis consumunt, sed findunt, disturbant, quaeunque occurrent, homines itidem ac animalia necant, absque ullo externo laesione signo, sola aut aeris priuatione, aut per nitri, quod ineft, in vapores tenuissimos soluti, particulas, respirationem profluis extinguentes, quo ipso sic manifesto effectu nitrosa, et quia nullas excitant flamas, frigida audiunt. — Ratione magnitudinis dispescuntur in magna et parua, late vagantia et mox evanescentia. Pro varia, qua onusta sunt materiae inflammabilis copia, modo maius.

r) I. c. C. XIIIX, §. 820-945.

maiores, et in incendendo et in discendiendo exserunt efficaciam, et tum magna, valida, fortia nuncupabis; modo minorem, ob materiam non ita copiosam, producent effectum, hinc minora, imbecilliora dicenda sunt. Magnitudo quoque in eo differt, quod quedam late vagentur, alia cito evanescant. Illa conspicuntur, si omnis aeris ambitus vaporibus est repletus, flammam facile concipientibus, qui in nube copiose collecti, aliisque occurrentes nubibus, eadem carentibus materia, crebriora edunt fulmina, eademque longius per totam saepe atmosphaeram micantia; si extra nubes paucae dispersae volitant particulae inflammabiles, cito extinguntur fulgura. — Dividuntur quoque ratione loci, ex quo originem ducunt. In superioribus plerumque oriuntur regionibus, atque ad terram descendunt; oriuntur vero etiam ex inferioribus, superiora versus tendentia, v. c. ex Vulcanis, terrae hiaticibus, solo, cuius memorabile exemplum Scipioni Maffeo visum exponunt HANOVIVS^s) et WINKLERVS^t) ex epistola eius ad Valisnerium data. Immo ab ipsis hominibus fulmina videntur orta, cuius rei HANOVIVS^u) iterum affert exempla. Meretur etiam, qui hac de re conferatur RICHTERVS, v) — Quidam insuper discernunt inter fulmen et fulminatiōne sive fulgurationem, illud cum tonitru coniunctum, hanc eo destitutam esse dicentes. Sed haec diuisio nihil ad nos attinet, vix enim datur fulgur sine tonitru, etiamsi ob nimiam distantiae magnitudinem non audiatur, eam enim lus quidem emetiri valer. Quin si fulminis conspicimus e longinquō coruscationem, arrectis curatis auribus, plerumque murmur quoddam obtusum, ipsum adeo tonitru, post longum temporis intervalium percipimus. Et si quoque daretur fulmen, quod tonitru non haberet coniunctum, ad nos tamen diuisio non pertineret, cum sic quidem meteoron igneum, neutiquam verò fulmen, de qua tamen hoc loco vnicē sermo est, existaret.

§. 14. *Origo et directio.*

Fulminis coruscatio vaporibus in aere electricis vehementer concitat, aliisque accensis oritur; esse vero in aere vapores non aqueos tantum,

B 3

sed

^{s)} I. c. C. III. §. 331. ^{t)} I. c. St. VII. p. 116. ^{u)} I. c. §. 332. ^{v)} In Dissert. de natalibus fulminum, Lipsi. 1725. habita.

sed et sulphureos, salinos, metallicos, nitrosoes, aliosque, ex variis corporum generibus egressos, supra iam de pluvia comprobatum dedi. Hi vapores vi gaudent electrica, nubesque formant, eadem vi praeditas, quae a ventis hinc inde agitatae, aliis occurunt nubibus, non nisi ex aqueis compositis vaporibus, ideoque vi priuatis electrica. Iam per electricitatis leges, nubibus negatiue electricis pars electricitatis, si intra positiva electricae nubis atmosphaeram (quaevis enim nubes atmosphaera est circumfusa) pertingunt, sub forma conitribuitur et cum strepitu sibilo in illas transmittitur, quod tamdiu sit, donec inter vtriusque vim aequilibrium adest. — Scirilla illa electrica vel ab altera nube tendit ad alteram, vel ad terram dirigitur, vel ad superiora. Prius accidit, vel uno tantum loco, si unica nubes, vel pluribus, si plures negatiue electricae nubes ad nubem positiva gaudentem electricitate appelluntur. Neque vero in nubibus solum vagatur, sed terram quoque perit; idque perpendiculari interdum linea, frequentius linea obliqua, aeris, vaporibus inflammabilibus repleti, sequens tractum; quacunque in hac offendit directione corpora, vel incendit, vel findit et disiicit. Loca inde petit maxime ea, vbi plurimi cumulantur vapores electrici, hinc saepissime tangit arbores, et in his praesertim resinas, quas findit, nec non simeta, cloacas, stagna, turres altiores, crucibus aut tritonibus instructas ferreis, fumantes caminos, meralla, quorum ductum prae caeteris saltu saepe mirando sequitur. Hanc viam vel rectam, vel serpentina percurrit linea, radio vel crasso, vel tenuiore, vel incurvato, vel angulato.

§. 15. Effectus.

Sane mirari quisque deber, quos fulmen edit effectus, quorum quosdam ex innumera eorum copia liceat commemorare. Homines et animalia necar, interdum sine omni externo laesionis signo, interdum in cines res convertit, interdum amburit, interdum viscera disruptum; lignis intactis metalli liquefacit, quibus iuncta erant ligna et ornata; gladios colliquat et nummos, illaeſis gladiorum vaginis aut nummorum loculis. Mihi ipsi notum est exemplum praefecti cuiusdam militum inferioris (*Unterofficer*) excubias Dresdas agentis, cui fibulae et calceorum et collaris sunt colliquatae in massam, nullo membris et vestibus illato damno. Narratum

tum quoque legimus, fulmen capillos hominis natalitos adfusisse, illae-
sis, quibus caput ornatum erat, adscititiis. ^{w)} Idem intactis crinibus
discernicula liquefecit; dolia discepserit, puluorem in illis contentum py-
rium non displodens; alio loco vinum absorpsit, (sine dubio subita ebulli-
tione et evaporatione) vel in glaciem mutauit, dolis quidem integris.
De qua glacie vinosi narratur, quod homines, si vinum rufus liquefactum
fuit, necare vel saltem temulentos reddere soleat, cuius rei, si sic se ha-
beat, alia nequit afferriri ratio, nisi quae a particulis ammoniacalibus et
sulphureis quibus coagulatur, ac virtutem humanae naturae nocuam reci-
pit, defumitur. Quam plurimos, praeter modo allatos, edit effectus, quo-
rum plures relatios legimus a REIMARO, ^{x)} SIGAVDIO de FVNDO, ^{y)}
et GMELENO, ^{z)} et nuperissime tantum EXCELL. PRAESES, ^{a)} tale lite-
ris consignatum exhibuit exemplum.

§. 16. Tonitru.

Scintillae electricae transitus et vaporum incensio semper coniunctum
habent magnum fragorem, quem tonitru appellamus. Oritur ille ex
aere subitanee et violenta ratione diffusso, et elasticitate sua in pristinum
redeunte statum, qua aeris disturbance motus in aere contingit vibrato-
rius, sonum producens. Unicus quidem ille fragor initio producitur, sed
natura soni ita est comparata, ut vndosis fluctuationibus, latius semper
diuertientibus, ad solidiora allidus, reperiuntur aer, quod et tonitru
fragori accedit, ad nubes enim, corpora densiora, nec non ad montium
rupiumque cacumina allidens, reddit et multiplex inde eius percipitur
echo, vnde facillime patet, cur tonitru in locis praesertim montanis ac
nemoris tam horribili mugia modo. Qui fragor cum eodem, quo ful-
men oritur momento, indicium facit illius a nobis distantiae. Lux ex
physics principiis longe citius progreditur sono, cum sit materia longe
subtilior et semper resto progreditur tramite; sonus vero aeris motu
vundulatorio propagatus per gyros semper atque tardius procedit, hinc ful-
minis

^{w)} Philosophic. Transact. No. 316. p. 137. ^{x)} Vom Blitz. ^{y)} SIGAVD de la
Foss Wunder der Natur, a. d. Franz, sub voce Donner. ^{z)} Reise durch
Siberien, Th. III. p. 400. sq. ^{a)} Wittenb. Wochenbl. Jahr 1787. N. 31. p. 241. sq.

minis coruscatio breuiori ad nos peruenire potest tempore, quam tonitru. Lux intra arteriae pulsum, seu $\frac{1}{3600}$ horae, 45 semidiametros terrae, sive 38,700 millaria percurrit, sono eodem tempore 1,142 pedes Anglicanos tantummodo emetiente, ideoque eo tempore vicesies demum sumto, milliare conficiente vnum. Quoies igitur numerari possunt arteriae pulsationes inter fulmen conspectum et tonitru auditum, toties fons incendi milliare integrum a nobis abesse videtur, 40th elapsis, duorum, minuto primo trium milliarium distanciam interest. Haec res maximi sane est momenti in discutiendo, qui plurimos tenet, a tonitru timore, id enim nunquam est exitiale, et fulmen si confixerimus, a morte securi esse possumus.

S. 17. *Vfus et noxa.*

Nihil in vniuersa rerum natura virilitate destituitur, quomodo igitur hoc de fulmine posse cogitari? Est sane, quem praefat vhus, nullo modo negligendus, non inferior vsu pluviae. Aerem terramque concurit, illum refrigerat et purum reddit, et foecunditatis impedimenta tollit. — Prima, quam praefat, virilitas in eo consistit, vt aerem terramque commouear, eoque foecundiorem hanc reddat. Solum ista aeris commotione ita emollitur et recluditur, vt tenerioribus herbarum germinibus facilior sit eius perforatio, et transitus quasi pateat. Efficit hanc concussionem violento aeris motu, qui vndis suis fluctuantibus terram ferit et quasi tundit, quod fenestrarum, immo ipsarum aedium satis testatur tremor. Aperitur quoque ea ratione bumas, vt solis radii eo melius ad interiora penetrare, ea calefacere et coctionem quasi promouere possint, particulas foecundantes itidem melius ad radices usque perferantur et ab illis resorbeantur. — Alter, qui ab illo expectatur, vhus in refrigeratione et depuratione aeris consiliit, quem eodem nobis exhibet gradu, ac pluia, de qua supra egimus. Particulae sulphureae, aliaeque in aere reperiundae, flamman facile concipientes, attritu suo per nubium motum producto, calorem, immo interdum ferorem proferunt in aere. Has omnes particulas, aut maximam saltrem eorum partem, fulmen incendio tollit, et virtute sua calefaciente exutas ad terram reuehit. Quem effectum vniuersiusque experientia satis superque testatur; tempore enim toni-

tonitru praecedente, ea saepe est aeris temperies calida, quae vix respirationem admittit, sed suffocationem potius, ob calorem et peregrinas, quibus aer repletus est, particulas minatur. Quae respirandi difficultas tempestate sublata cessat, et loco fervoris fere suffocantis gratum aeri refrigerium, nonnunquam adeo frigus reducitur, puriorque aer hauritur, idque facillimo negotio. Nec minor est tertius, quem ab illo percipimus, usus in tollendis ac remouendis fertilitatis impedimentis. Inter illa omnino potest referri soli durities, quam, ut supra vidimus, corrigit concutiendo; sed alia quoque hoc pertinent, aequae graui, v. c. insecta pleraque, quae destruit. Innumera eorum sunt genera, vegetationi noxia, alia enim arrrodunt radices, easque praemordent, alia germinibus vescuntur, alia flores laedunt, alia semina consumunt. Omnia haec instinctu quodam naturae; oua eis agglutinant locis, quae suboli sufficientem aequae ac conuenientem praebent cibum; his fulmen est exitiale, oua enim loco natali excutit, ut animalcula exclusa pabuli inopia necessario pereant; insecta vero ipsa particulis suis sulphureis, innumeris vi parcatur plantis, interficit. — Haec autem fulminis virtilitas, quamvis in uniuersum maxima, non tamen tanta est, quae sigillarim ab omni libera esset damno, quod ex supra commemoratis patet effectibus. Incendiis consumit; arbores frugiferas findit et comburit; aedificia vastissima strage destruit. Haec summa sunt incommoda, nec tamen omnia; in fluida quoque suam exercet virtutem, laeticiaria enim, nec non cereviaciam, vii er buryrum, particulis, quas coniinet, acidis corrupit, illis acorem conciliat, si in caueis haud probe clausis, aut plane patentibus asseruantur. Bruta saepe vita priuat, nec ipsi homini parcit. Grandine insuper quandoque nocet; oriuntur saepe in superiori aeris regione, quae glacialis dicitur, concussione sua vapores in guttas cogit, statim in grandinem obrigescentes; commotio aeris grauior excitat ventos, grandini, autela celeritate, maius conciliantes pondus. Floribus noxiis aliqui dixerunt, sed nondum satis comprobatum est. Legi meretur hac de re EXCELL. PRAESIDIS disquisitio. b)

S. 18. Modus, se ab illo tutum praefandi.

Tantos cum edat fulmen effectus homini saepe nociuos, ab omni tempore quaestio fuit morta: Num fieri possit, ut quis tutum se praefest ab illo? Quae quaestio omnino est affirmanda. Fieri quidem potest, ut tutus ali-

C

quo

b) I. c. Jahr 1786, No. 51. p. 404. qq.

quomodo sit, loca si vitat, illi piae aliis obnoxia, quae supra §. 14. notaui-
mus. Non igitur est suadendum, sub arbore diuertere, praesertim resinifera,
tutius est, in aprico commorari agro; vitanda simetorum propinquitas; non
intrandae culinae, in quibus ignis fumum de foco emitens, illud allicit;
non ingrediendae cellae, vbi cereus, vinumue fermentatione mouentur,
vapores enim inde egressi adducunt fulmen; non frequentanda coemeteria,
vaporibus cadauerosis repleta; abstinentiam ab omni angore et timore, sunt
enim exempla, homines a timore esse mortuos; angor circulum sanguinis
accelerat, calorem auget, et sudorem prolicit, is nihil aliud est, quam vapor
copiosus salinis repletus partibus, in aerem auolans, quae perpetua parricu-
larum, e corpore nostro egredientium, series, via esse potest, qua fulmen ad
nos deducatur; hinc nec cursus conuenit, nec equitatio, quippe quibus sudor
oritur. Si equo vehimur, satius est descendere, et equum aliquantum
remouere. Vitanda, quoad fieri potest, omnis cum metallo con-
iunctio; non admittendi aeris torrentes arque fluctus, hinc campanis pulsare,
magis noxiun, quam proficuum; siquidem exempla docuerunt, fulmen
eas potissimum perisse turres, eaque templa, in quibus campanis pulsatus
fuerit aer, alii, vbi silverunt, illaesist; neque tamen omnes habitaculi par-
tes sunt occludendae, eae potius, quae regioni, unde tempestas aduehitur,
obstant, aperienda sunt. Iaponum imperatores, teste KAEMPFERO^{c)} in
piscinis occultati, tutos se existimarent, putantes, fulmen ab aqua extin-
ctum iri. Sed hoc vanum est. Homo laneis induitus vestibus aut sericeis,
coeruleo in primis colore tinctis, minus obnoxius est periculo, ac ille, qui
lintero viuit amictu. Optimum omniumque tutissimum remedium, se do-
mumque a fulmine tuendi, modus fulmen auertendi est, cuius inuentorem
nos veneramur celeberrimum Americae ciuem, BENIAMINVM FRANKLI-
NVM, d) quem deductorem CLARISS. WINKLERVS in nostris regionibus fere
primus imitari coepit. Constat ille ex metalli (plerumque ferri aut cupri)
lamina, in summa aedificii parte affirmata, hinc ad terram deducta, et, si
fieri potest, in aquam fluentem desinens. Apex esse debet obtuse acuminatus,
ex orichalco confestus, pedem longus, ultra fastigium aliquot, & saltim
pedes exorrectus. Unicus apex simplex, multifido praefat. Ne fulmen
ad aedes, quibus annexus est deriuator, transiliat, vnum sit continuum, fer-
reis retinaculis firmatum. Haud periculum est, fulmen aedificium esse lae-
surum,

a) Amoenitat. exotic. d) Experim. and obseruat. on Electric. p. 65.

furum, nam si ad ista peruerterit retinacula, non quidem per lapides, electricitate carentes, transit, sed viam potius deorsum per metalli substantiam sequitur. Aqua in quam desinit, si obiecto fluit canali, verendum est, ne dissipat canalem. Aedificium si amplum nimis aut magnum est, plures adhibendi sunt deductores, et quidem 40-50 pedes distantes. Hi materiam excipiunt electricam, quae, metallorum amantissima, ferream sequitur viam, dumque transit. Res vero illa, cum ab aliis satis sit exposita, finem hic de ea differendi facio; qui vberiorem eius cupit cognitionem, aeat REIMARVM. e)

S. 19. Loci explicatio.

Nemo sane de re quadam differere melius potest, illo, qui eam condidit, et per partes produxit; quod et hic valer. Omnia enim qualiacunque a me huc usque tradita, sumimus naturae conditor in verbo nobis reuelato optime exposuit, seque horum demonstrauit auctorem et interpretem, versibus nempe 25-27. capituli XXXIX, libri Iob adscripti, et ab antiquis mis iam in canonem relati. Is quidem locus nunc explicandus restat. In illo Deus Iob ostendit sapientiam, omnipotentiam et benignitatem, in natura manifestam. Locus sic habet: quis diuisit (tribuit) pluviae inundanti canalem? Quis viam (aperuit) fulmini tonanti? ut in terram pluat inuctam, in desertum a nullo inhabitatum? ut satierit summa vastitas et progerminent tenerae herbae? — v. 25. קָרְבָּן propriè est inundatio, h. l. non terrestris, a fluuii ripas excedentibus, sed a pluia profecta, quod docet contextus, in quo de pluia sermo est. Norat inde pluviam inundantem i. e. copiosissimam נַתְנָה canalis, aquae ductus, idem h. l. quod קָרְבָּן, imagine summa a canalibus, quos perfluit aqua, ut sit: Via, qua pluviae aqua ad terram deferatur. מִן Varie explicatur; ab Hieronymo per processas, a Chaldaeo per ventos, a Syro per guttas, a Talmulditis per nubes; ILL. MICHAELIS f) explicat per ielum, seu fulmen, quod optime placet, ob dictioris seriem, ubi cum קָרְבָּן iungitur, quod tonitru designat; nihil enim arctius cum tonitru est coniunctum ac fulmen. — V. 26. Pergit summum numen in demonstranda maiestate, et quidem ex pluviae yniuersalitate et usu. שָׁמֶן-אֲשָׁר-תָּמָר terra, in qua nullus vir sc. est, terra inulta. בְּקָרְבָּן desertum, non intelligitur locus, in quo nec herbae, nec arbores, nec animalia repen-

riun-

e) I. c. Th. II. C. XIV. §. 133-140. f) I. c. P. III. p. 706.

riuntur, sed eiusmodi, in quo nulli habitant homines, vt ex sequentibus patet
רַאֲדָם בְּשָׁמֶן idem est, quod supra **שָׁמֶן לְאַרְצָה** quea repetitio formulae
 fere similis, magis intendit sensum. Innuitur his loquendi formulis, Deum non
 solum in ea loca demittere pluviam, quae sint ab hominibus culta, sed etiam inculta,
 et animalibus inhabitata, quorum non minus curam gerat, cum sine pluvia, terram
 rigante et vegetationem promouente existere vitam nequeant trahere, — V. 27. Deus
 vtilitatem potissimum pluviae extollit, **וְלֹא בְּבָזָבִים** vt satietur, terra sitim sentiens singu-
 tur, a pluvia extinguendam. Sensus: Vi latius imbibat aquae. Sermo et hic, vti
 in v. 25, est de pluvia non parca, sed copiosissima, et terram inundans, quae et
 locis arenosis et stuculosis sufficientem praebeat humectationem. **שָׁמֶן וְכָלְשׂוֹנָה**
 utrumque idem denotat, vastum scilicet locum, seu vastationes. LUTHERVS: die Ein-
 oeden und Wildnissen. Locus vbi nemo degit. Convenit fere cum formulis supra
 v. 26. explicatis. Quod autem duo positi sint, idem significantia, more Hebreis
 confueto factum est, qui duo iungunt synonymo, ad rei magnitudinem exprimen-
 dam. Sic Ioua ipse dicitur: Rex regum, i. e. summus rex, quod et h. l. factum
 est, ad exprimentam summam vastationem, in qua ne vnicus quidem reperitur ho-
 mo. **מֵדָע** progerminare **נַעֲמָה** exitus a **נַעֲמָה** exit, idem fere cum antecedente, vt
 sit sensus: Quo facilius exeat germina herbarum teneriora. **נַעֲמָה** differt ab **בְּשָׁמֶן**
 hoc adultius signat gramen, fructus ac semina iam serens; illud teneriorem herbam,
 vix e terra egressam, quae opus fructificationis nondum subiit. Totius loci sensus
 non aliis mihi videtur, nisi hic: Ego, summus Deus, vnicae pluviae, quae terram
 inundat atque fulguribus tonentibus, est iuncta, viam quasi operui, per quam de-
 scendat, vt loca culta, asque ac inculta irriget, et terram ita exsatiet, vt ad profe-
 rendas herbas teneriores sit idonea. Quibus in verbis omnia infunt, supra a me
 tradita. Inest de pluviae origine coelesti, inest finis eius, est vtilitas, terrae fos-
 cundatio; inest de fulmine tonitru iunctio.

§. 20. *Conclusio.*

Haec qualiacunque a me hastenus expota neque nouitate lectores intentos
 habere, neque rei grauitate gloriam mihi comparare vilam possunt, siquidem con-
 ditio mea non fert, vt, partim experientiae obseruationeque definitius, partim op-
 ibus, ad libros atque instrumenta colligenda necessariis vacuus, vt modo noua proferre,
 modo laudis studio in his naturae deliciis, vnicae duci queam. Accedit, quod, quae
 hac de re dicendsunt, ab optimis naturae scrutatoribus, saepè atque iterum dicta
 sunt; nec mihi libellum conscribendi plane physicum, sed specimen edendi acad-
 emicum mens fuit, quo PATRONIS ac NVRITORIUS supremis, studiorum, atque ac
 temporis in sede hac Miserorum collocti palam redderem rationes; nullus dubi-
 tans, fore, vt Viri SYMM. VENERANDI, aliquis haec forte pagellas perlustrantes ve-
 niam mihi datur, et quicquid alicubi erratum fuerit, beneole condonatur sint.
 Qua spe certissime fatus, finem iam operi impono, neque et huncce libellum
 extur, si qui contingunt, de meliori commendo.

Wittenberg, Diss., 1786-88



f
Sl,



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



SPECIMEN PHYSICVM

DE

PLVVIA ET TONITRV

QVO SIMVL

LOCVS IOB. XXXIIX, 25. 26. 27.

EXPLICATVR

QVOD SVB

PRAESIDIO

IOANNIS DANIELIS
T I T I I

A. M. PHYSICES P. P. O. FACULT. PHIL. SENIORIS
CONVICT. ELECTOR. INSP. SOCIETAT. OECON.
LIPS. SODALIS

D. XII. OCTOBRS A. O. R. ccccccxxxvii,

FVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES TRAUGOTT NOTH

DRESDENSIS REVER. MINIST. CANDID.

WITTEBERGAE

TYPIS IO. TZSCHIDRICHI.

14
15
9

1787 8

